

~~EX LIBRIS~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

V-37

SIGNAT. MDCCCXIII.

I. N. S. B. D. T.

28

SUBJECTUM
PHILOSOPHIÆ MORALIS
GENERALE,
TRIADE POSITIONUM
EXPOSITUM,

SUB
MODERAMINE DIVINI NUMINIS,

PRÆSES,

M. ABRAHAM HENRICUS
DEUTSCHMANNUS,

FACULT. PHILOSOPH. ADJUNCTUS,

ET

RESPONDENS,

JOHANNES FUHRMANNUS,
BISTRICIO-TRANSYLVAN.

DEFENDENT,

DIE XX. DECEMBR. ANNO M. DC. XC.

In Auditorio Majori.

Horis Antemerid.

WITTEMBERGÆ, Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.

h. III. 3658

IN
SUBJECTUM
THEOSOPHIE MORALIS
GENERICAE
FUNDAMENTALIS
EXPOSITUM
A
JOHANNI HENRICH
HEINRICH
AUCTORE
JOHANNI HENRICH
HEINRICH
AUCTORE
JOHANNI HENRICH
HEINRICH
AUCTORE
JOHANNI HENRICH
HEINRICH
AUCTORE



Σὺν τῷ Θεῷ!



Ordinem commendat antiquissimus Scriptor *Xenophon* in *Oeconomico* his verbis: ἔτι δ' ἰδὲν ἕτερος ἔτι εὐγενέων, ἔτι καλῶν ἀνθρώπων, ὡς ἢ πάλαι. Hoc est: Nihil Hominibus præstantius, necq̃ utilius *Ordine*. Pauca quidem sunt verba, sed ponderatu digna; nam *ordo* maximum lumen afferre solet menti, facemq̃; præfert memoria.

Eapropter vitio nentiquam verti potest, dum nunc in *Philosophia Morali* progredimur, & Disputationes continuamus. *Subiectum* verò hujus *Philosophia* post declaratam Naturam *Finis* ejusdem, *Summi* videlicet *Boni*, explicare suscipimus, uti se invicem *Partes* in disciplinis practicis excipiunt. Istud *Subiectum* hic ~~genuerunt~~ considerabimus, quâ ratione vario modo spectatur; siquidem *conjunctim*, simulque *totaliter* *Homo* *Subiecti* nomine, ut *virtuosus* esse debet ac solet, necessario gaudet; sic *formalis* modus *istum* spectandi nunquam erit negligendus. *Distinctim* verò, nec non *partialiter* *mediatum* *subiectum* vocatur *Anima Humana*; *immediatum* *subiectum* itidem duplex constituitur, alterum *Intellectus*, alterum *Voluntas*, cui quoque subjungitur *Appetitus Sensitivus*. Quantum itaque commodum videbitur, tantum negotii huic labori tribuere fatagemus. Rem autem nonnullis *Positionibus* pertractabimus, atq̃e pro suppeditata occasione *Ibeses*, & *Antiheses* attendemus. DEUS Noster, FINIS *Philosophia Moralis* OPTIMUS, studium hoc Suo Adjumentò promoveat!

I. Homo

Homo, quàm liber est in agendo, Subjectum generale, totale, ut & adequatum Philosophia Moralis jure vocatur. Idem Donatus Acciajulus Præm. in Aristotel. Ethic. de Subjecto Ethicæ docet, & ex eo Velsenius Profess. hac in Academia Centur. Quest. Ethic. Decad. I. Quest. 1. §. 3. pag. 4. Etsi, dixit, plures opiniones de Subjecto Philosophia Moralis afferri soleant, illa tamen præclarior esse videtur, quæ dicit, esse Hominem, eâ ratione, quàm liber est in agendo. Comparationem idem instituit cum Medicina: Sicut Medicina confidit Hominem secundum ea, quæ spectant ad corpus: Sic Moralis Philosophia confidat Hominem liberum, & de Homine ea, quæ sunt animi, ut virtutes, & operationes, & alia ejusdem generis, quæ ut proprii affectus competunt ei, prædicat. Homo verò dicitur hoc locò Subjectum generale, si ad communem rationem illius respiciatur, & quod seu totale, quatenus totus Homo virtutibus deditus esse solet: Iste idoneus Ethicæ Auditor, non ut adhuc juvenis est, sed ut in ætate confirmata constitutus. Ille siquidem plenò rationis usu caret, Summèq; Boni capax esse nequit, sicut Philosophorum Princeps satis & sufficienter comprobatur in Lib. I. Ethic. Cap. I. quomodo itaque res Ethicæ juvenis percipere potest? Imò juvenes ex Decalogo potius & domestica Parentum informatione ad morum honestatem civilitatemque sunt assuefaciendi, quàm ex Ethicæ informandi. Id quod contra de Auditoribus Ethicæ in ætate constitutis dicere non dubitamus, qui de rebus ethicis suum necessum habent ferre iudicium; hoc autem penes juvenem ne utiquam locum invenit, nimirum penes juvenem mente, non ætate. Porro: Sicut in omnibus disciplinis idoneus Auditor talis requiritur, non qui primum ad principia cujusdam disciplinæ addiscenda videatur accedere, sed qui suum jam ad ipsum usum applicet animum, sitque benè informatus & instructus, ita nec frustra quis agat, si talem Auditorem idoneum in Ethicis constituat Subjectum. Duplici modò Subjectum istud in considerationem venit: & materialiter; Sic Homo nuncupatur

patur simpliciter *Subiectum Philosophiæ Moralis*; & formaliter, ita secundum quid limitatio quædam additur: *Hominem esse subiectum*, quatenus ad felicitatem est deducendus; quâ ratione distinguitur *Subiectum* istud à contemplatione *Subiecti* applicati ad alias disciplinas. Confirmatur nostra sententia.

(a) *A quotidiana Praxi*: Quia tres consuetæ *Partes* in *Ethica* quotidie declarantur, quarum prima *Finem*, secunda *Subiectum*, tertia *Media* sub se complectitur; Ille *Summum Bonum*, istud *Homo*, in quem *Finis* introducendus est, hæc *Virtutes*, per quas in *Hominem Summum Bonum* actu introducitur.

(b) *A debita relatione*: Cum omnis *Finis* requirat *Subiectum*, & quidem proportionatum, cui accommodatur; hoc autem nullum aliud esse potest, quam *Homo liber in agendo*, respectu operationis qualiscunque. (γ) *Ab ipsa descriptione Subiecti*: Nam *Subiectum* vulgò describitur juxta *Philosophum*: *Istud esse, cui aliquid inhaeret*: Jam autem *Virtutes* inhaerent *Homini*, *Subiecto* scilicet capaci, unde *Homo* vocatur simul *Subiectum inhaerentis Ethicæ*. Contra *Stoicos* pugnamus hac in sententia, qui conati sunt asserere: *Virtutem esse Subiectum Ethicæ*; Verum *Illam Medium* potius, quàm *Subiectum Philosophiæ Moralis* jure nominari, jamdudum à *Philosophis* demonstratum; quapropter isti in excessu peccarunt. Nec *Subiectum* juxta Nonnullos erit *Summum Bonum* constituendum, uti *Siberto*, & *Antonio Minandule* hoc ipsum tribuit DN. Prof. *Liebenhal* in *Colleg. Ethic. Exercitat. I. Præm. Quæst. XIII.* Quod enim *Finis* locum occupat, nunquam *Subiecti* nomine venire potest. *Subiectum* siquidem & *Finis* distinctæ causæ solent appellari, altera interna, altera externa, illa inter materiæ differentias recensetur, hæc ab extrinseca conditione denominationem habet; ut ideo citra ullum dubium opposita ratio harum causarum sit. His ponderatis vera hic admittenda sententia DN. *D. Matthie Disp. IV. Exercitat. Ethic. Thes. III. pag. 75.* proposita: *Subiectum* scilicet adequatum & totale *Ethicæ* totum esse *Hominem*, quatenus est bonis moribus informandus.

Anima Humana partialiter & distinctim Subjectum medium appellatur, cum quo conjunguntur facultates ipsius, Intellectus, & Voluntas. Ethicus namque sedulam dat operam, ut suam Animam informet, Virtutibusque Moralibus simul exornet. Animæ Hominis Subjecti nomen vulgò inbasionis quoque tribuitur, inhæret enim Animæ humane doctrina Ethica ut accidens. Cum primis autem hoc valet, si Anima respiciatur quoad facultatem appetitivam, quando considerantur actus elicti, quos accuratius formare, rectæque rationi conformare tenemur; cum ista disciplina, tanquam institutionis magistra, singulis appetitionibus leges præscribat. His declaratis pro salutari Symbolo Pythagoræ illud erit agnoscendum, quando inquit: Qui congruenter animum à perturbationibus purgare studet, salem adhibeat, cantuque ad lyram utatur: Sal sapientiam indicat, quæ cum prudentia recta rationi juncta salutarem in appetitionibus consonantiam parit. Animam ergò reverà postulare Appetitum sensitivum, id neminem reddet dubium. Interim Princeps Philosophorum Lib. I. Ethic. cap. ult. Appetitum sensitivum comparat membro alicui corporis resoluti, quod sæpè, cum à Paralytico dextrorsum impellitur, sinistrorsum tamen fertur. De immediatis subjectis partialibus nunc verba quædam faciemus, quæ vulgari modò appellanda Intellectus, & Voluntas. Intellectus Practicus, non theoreticus hic intelligendus, ille ad actionem tendit moralem, ut agat ac efficiat id, quod bonum esse intelligit; sed hic in nuda cognitione acquiescere solet, cum tantum intelligat & ratiocinetur propter cognitionem, ut res verè cognoscat. Uti Aristoteles lib. III. de Anima cap. IX. judicat, quando Intellectum distinguit in theoreticum, & practicum. Falsò tamen Job. de Gandavo Lib. III. de Anima Quest. XXXIX. & Zabarell. lib. de Facult. Anima Cap. XIII. pag. 725. Intellectum practicum idem quid cum Voluntate dicunt esse. Sed nos minimè cum Horum sententia consentimus, cum istà distinctione differentia intellectus accidentales denotentur, prout habitu non solum speculativo, verum

rùm & practico informatus esse perhibetur intellectus. Iste
considerandus non ut erroribus obnoxius, sed ut iudicium
rationis, idque rectum, & quatenus ex principiis practicis de-
ductum est, adhibet. Iudicium autem non tam absolutum,
quò aliquid in se verum seorsim & separatim spectatum iudi-
catur bonum, vel malum, vel faciendum, vel fugiendum, quam
comparatum, quò aliquid cum aliis rebus & circumstantiis
confertur, & demùm vel bonum, vel malum, vel faciendum
seu committendum, vel fugiendum sive omittendum iudica-
tur, est intelligendum. Nobis hac in doctrina Excellentiss. DN.
Prof. Nöbrensee in *MSC. Ethic. Cap. II. Pragogn. Aphorism. V. Thef.*
VII. Explic. assensum præbet. Cum *Intellectu* coniungitur *Vo-*
luntas, quæ ab eo quoad specificationem actûs movetur; co-
gnoscit enim *Intellectus* *Voluntatis* objectum, idque non citra
fundamentum ullum proponit. Indè, ut agere possit *Volun-*
tas, debet primò *intellectus* iudicare, quid bonum, quid malum
sit, illudq; postea *Voluntati* communicare. Falsum itaque, co-
gnitionem & iudicium *Intellectus* nihil conducere ad actionem
voluntatis; alias si hoc largiri vellemus, absurdum indè non fru-
stra istud eliceretur, nihil planè *Voluntatem* appetere: Ignoti
verò nullam prorsus existere cupidinem, vulgò affirmari solet.
Multò minis negativam partem sequi debemus *Illorum*, qui
nolunt, *intellectum* quoad speciem actûs movere *Voluntatem*; uti sta-
tuerunt *Capreolus* in *Lib. II. Dist. XXIII. Artic. III. ad I. Contra I. Con-*
clus. Hispanensis in *II. Dist. XXV. Quest. I. Artic. III. Not. I. Favellus IX.*
Metaph. Quest. VI. Conf. Colleg. Conimbric. Disp. in Libr. Aristotel.
Ethic. Disp. IV. Quest. II. Art. I. pag. 32. Hæc *Voluntas* quoque
pro *Subiecto Ethicæ* habenda, quæ juxta *Scaliger. facultas Ani-*
ma rationalis, quæ homo ea, quæ ab *Intellectu* apprehensa & dijudi-
cata fuerunt, vel sub ratione boni apprehendit, vel sub ratione mali
aversatur & fugit. Nec dubitandum, quin *Voluntas* possit ap-
petere seu velle malum, & fugere seu nolle bonum; nam potest
ferri volendo in bonum apparens, quòd, cum non sit bonum,
sed malum, tamen ut talè appetitur, quia tale apparet. Con-
trà disputant *Nonnulli Scholasticorum*; & quidem *Scotus* potis-
simùm

simum nihil certi definit, sed admittere simul istam sententiam voluit: Quod *Voluntas* possit velle malum, quia malum, sub ratione mali, & nolle bonum, quia bonum, sub ratione boni: *Occam* sententiam cum *Nominalibus* nostris, quae vera & genuina esse perhibetur, oppositam tuetur. Fundamentum assertionis est: *Si Voluntas non possit velle malum sub ratione mali, nullum erit peccatum ex malitia, nullum contra conscientiam; nam, qui peccat ex malitia, peccat, sciens, illud esse malum.* Item, qui contra conscientiam: nam novit, verbicausa, malum esse furari, & tamen expetit; Ergo vult malum sub ratione mali. Respondemus: Nullam esse connexionis veritatem; siquidem de distinctis distinctum erit ferendum iudicium. *Isti* vero, qui ex malitia, nec non contra conscientiam peccant, sciunt equidem, quod agunt, malum esse; distinguuntur igitur ab *istis*, qui vel ex ignorantia, vel passione, vel alia infirmitate peccare solent; verum inde non colligendum, eos hoc velle, quod sciunt, esse malum, sub ea ratione, sub qua sciunt, sed sub alia ratione velle, sub qua peccantes putant bonum esse. Ut non nihil dicamus de praesenti suppeditato exemplo, cum quo ita comparatum est, ut peccans non furari velit, nisi sub illa ratione, sub qua haud ignorat esse donum, videlicet *oro*, atq; medium ad pecuniam acquirendam. Hac de re conf. Exercit. *Ethicae*, *IN*, *D. Mathematicae* Disp. IV. Disquisit. VI. pag. 88. seqq. Hanc *Voluntatem* pro *Subiecto Ethicae* necessario debemus agnoscere, quae animi facultas, cum vitiis oblita & defectibus cooperta, indiget *Virtutibus*, a quibus excolatur & perficiatur. Restat, ut nostras assertiones firmas reddamus, & *Antistheses* subjiciamus. *Animam humanam* itaq; *Subiectum Ethicae* jure vocari quo sive *partiale medicum*, inde constat: Nam *ista* solet ab *Ethica* informari, ejusq; actiones per *Virtutem* ad *felicitem* perducere. Deinde ipsa *Ethica* medicinam *anime humane* paravit, morbo ejus ea propter non aliter mederi potest, quam ut naturam *illius*, cujus mentionem antea fecimus, quantum quidem ad hanc rem necessum, perspectam habeat. Imò *virtutem* ipsam non *corporis*, sed *anima*, praecipue *sensitiva*, esse, neminem in dubio tenet.

tenet. Quapropter & rationem rectam, & *Aristotelis* metho-
dum secuti sumus, quando de *Anima Humana* superius disse-
ruimus. *Intellectum* quoque *Subiectum* ejusdem disciplinæ
verum, interim tamen *immediatum* dici, hõc modõ stabilitur:
Ethica namque *practicum intellectum* errore laborantem cor-
rigit, nec non ad *perfectiõnem*, hoc est, *rerum intelligentiam*,
perducit, id quod luce meridianã est clarius. Huic assertioni
contradicere conatur *Kockermannus*, sicut statim percipiemus.
Immediatum verõ *Subiectum Intellectum* esse nullum dubium,
licet ex *Anima* ducat originem, necessariõ siquidem *prudentiã*
in *Philosophia Morali* prærequirat *cognitiõnem Virtutum Mora-*
lium, & sic *Ethica* simil, cum omnis $\pi\epsilon\alpha\zeta\iota\varsigma$ præsupponat $\gamma\upsilon\alpha\sigma\upsilon$.
Demum & *Voluntas Subiectum Ethicæ immediatum* nuncupa-
tur, non sine ulla ratione: *Voluntas & Intellectus* enim se ha-
bent relativè; Jam ait *Philosophus* in sua *Philosophia Prima*:
Relata inter se mutuõ recipiari. Imõ ipsa *Virtus Moralis* ut
habitus electivus est in *Voluntate*, quapropter & necessariõ per-
ficit *Voluntatem*. *Voluntas* itaque non aliter, quàm ut *Sub-*
jectum Ethicæ consideratur, cum participet de *Medio* huic di-
sciplinæ conveniente. Brevibus nunc subjicienda erit à nobis
Antithesis illorum, qui contra *Subiecta Ethicæ* nonnulla solent
asserre, quæ dubiam reddunt mentem. Quod *totale Ethicæ*
Subiectum concernit, opus erit observare, non adstruendam,
esse *Multitudinem Animarum*, & earum *realem distinctiõnem*, quam
sententiam acerrimè defendere *Averroisse* haud recusarunt.
Conf. *Civ. Doctrin. Dn. D. Horneji, lib. II. cap. I. p. 128*. Confun-
dere distinctas *facultates* aut *potentias* cum ipsa *Substantia*
Animæ Humane ausi sunt; cum tamen illarum plures existant,
sed hæc nonnisi una sit; *Facultates* quoque distinguantur ab
Anima realiter, ut *accidentia à substantia*. *Thomas* confirma-
vit hanc sententiam, quia & *actus & potentia* sunt in eodem
genere; *Actus intellectiõnis, & volitiõnis* sunt *accidentia*, sicque
non *realiter* idem cum *Anima*. Hoc absurdum quoque colli-
gendum indè foret, si *Facultates Animæ* cum *Anima ipsa* idem
essent,

essent, dicerentur *realiter* idem etiam *inter se*, quod tamen à *Physicis* minimè conceditur. Id quod notandum contra *Scotum & Scotistas*. Vid. *Scotus II. Sent. Dist. XXIII. Quæst. Unic.* Quà primam *Facultatem Anima*, *Intellectum* videlicet, refutanda erit *Keckermanni* opinio, qui *Lib. I. System. Ethic. pag. 144.* excipit contra sententiam superius allegatam: *Prudentiam esse quandam mixtam Virtutem ex intellectuâ & morali, & esse quidem intellectualem ratione subjecti, & causæ efficientis, quæ pendet ab hominis ingenio & iudicio: Esse verò moralem ratione Objecti, & Finis; quia prudentia non per se intellectu perficitur, sed perficit appetitum.* Respondemus: Committi hoc in argumento *Petitionem Principii*, cum præsupponatur illud, quod præsupponi non debet, nec potest. *Qualitas enim omnis primariò illud subjectum, in quo locum invenit, perficit: jam prudentia est in mente, tanquam in subjecto, id quod nobis ipse Keckermannus concedit; ergò & primariò perficit mentem seu intellectum.* Nomen ipsum *prudentiam* ab appellatione græcæ, *Φρόνησις* accipere, nemo est, qui dubitat, ita ut *mentis ornamentum* sit. Errant & *Scholastici*, qui *intellectui* tribuunt, *imperium rationis*, ut *Thomas in Prima Secunda Quæst. XVII. Artic. I. & II.* Sequuntur *Cajetanus ibid. Artic. I. Capreolus in I. Distinct. I. Quæst. II. Jacob. Almainus* contrarium asseruit *tract. III. Moral. Cap. II. Sine causâ*, inquit, *illud imperium à Thoma poni, vel certè potius ad voluntatem, quàm ad intellectum pertinere.* Conf. *Phil. Moral. Horneji Lib. II. Cap. III. De Imperio Rationis pag. 162.* *Thomas* falsam fovet opinionem, acsi *formale imperium in ordinatione* consistat, quæ tamen potius *prærequisita* vocanda *conditio*, quia *imperium* non tam præscribit, quàm rem præscriptam observari jubet & cogit. *Imperium ergò consistit præprimis in impulsu ad agendum.* Nos hac in re sentimus, *imperium antecedenter, remotè ac præsuppositivè esse quidem actum intellectus; formaliter verò, proximè ac elicitive actum voluntatis.* Prius patet: quia *imperium* locum habere non potest, nisi prius proponantur *mandata*, & declarentur. Poste-

Posterius probatur: Ad imperium non sufficit proponere agenda & determinare, sed imperans ita quid denunciat, & praescribit, ut simul illud fieri velit, seu aperit voluntatem suam inferiori cum vi obligandi; At intellectus velle non potest; Ergo nec proprie imperare. Præterea: nullum imperium est sine juris exercitio superioris in inferiorem; Sed intellectus nihil juris in voluntatem exercet. Restant nunc nonnulla de Voluntate, quæ Antithesin respicere debent. Occam lib. II. Sentent. Quæst. XXIV. & Gabriel Biel Lib. II. Dist. VI. Quæst. Unic. Conclus. II. arbitrantur: Nullam distinctionem inter intellectum & voluntatem esse. Ille inquit; Intellectum non plus distingui & voluntate, quam DEUM à DEO, & sortem à sorte, quia nec re, nec ratione distinguuntur. Hic ait; Intellectum & voluntatem non distingui ab anima, neque inter se, neque re, neque ratione. Conf. de his Paul. Stevogt. Disp. Academ. Disp. XIII. Sect. II. Conclus. III. Memb. I. Ille verò ostendit diversum respectum, scilicet materialiter intellectum & voluntatem convenire inter se, non autem formaliter; Jam quæ formaliter distinguuntur, veram distinctionem haud respuunt, cum desinicionibus distingui soleant. Huc simul istud referendum: voluntatem ab intellectu practici judicio ultimo non determinari, sive consideretur solum quoad specificationem actus, cujus affirmativam adstruit Aquinas cum suis sequacibus; sive spectetur & quoad specificationem actus, & quoad exercitum; neutro modo determinatio respectu intellectus practici ultimi judicii solet admitti; pro affirmativa opinione pugnat Heereboord. in Colleg. Ethic. Disp. X. de Motivo Voluntatis Thes. VI. pag. 712. cum quo Conimbricenses faciunt Disputat. in Libr. Ethic. Aristot. Disputat. IV. Quæst. II. Artic. I. Nos verò negativam cum Lutheranis Philosophis assumimus, dicimusque: voluntatem nunquam determinari vel quoad specificationem actus, vel quoad exercitum; allas voluntatis libertas intercideret, statuta ejusdem à judicio rationis determinatione. Nam quicquid in omni operatione determinatur judicio practico, ita quidem,

ut non possit non sequi, id in actionibus non est liberum, sed
necessariò agit. Fieri ergò nequit, ut *Voluntas* à *judicio*
intellectus practici determinetur quoad *specificationem actus*:
Propositò siquidem appetibili certò, quod *intellectus* eligend-
um iudicat, *Voluntas* contrarium eligere potest, & sapiùs
actualiter eligit, ut patet ex iis, qui contra conscientiam vi-
tium committunt. Nec quoad exercitium *Voluntas* determi-
nari dicitur à *judicio intellectus practici*: *Voluntas* namque
potest actum eligendi suspendere, vel hòc tempore non eli-
gere, quod *intellectus* eligendum iudicat. *Paulus Slevogr* in
Disputat. Academic. & quidem *Pract. Disp. II. de Indifferentia*
Voluntatis Humane in ordine ad Actiones Morales Thef. XXI.
pag. 585. inquit: *Voluntas in omnibus actibus suis, sive sint*
circa finem, sive circa media, sive circa bonum in communi, sive
circa bonum particulare, indifferenter se habet saltem quoad exer-
citium, si non semper quoad speciem. In quo nos consentien-
tes habet, cum nequitiam inficiari debeamus, dari quan-
doque *determinationem quoad speciem*, non quidem si spectetur
necessitas absoluta, benè tamen quò *necessitatem hypotheti-*
cam. Hic quoque observatu necessarium erit, aliud esse
movere *Voluntatem*, aliud eam determinare; *intellectus* mo-
vet *Voluntatem*, sed nulla pendet ab eo *determinatio Volunta-*
tis. Vid. *Philosòph. Pract. Præcognit. Hieronymi Prætorii in Aca-*
demia Jenensi Prof. Publ. Præcogn. Secund. Punct. VI. §. II. III.
pag. 38. 39. Admirandum hic, teste *B. D. Balthas. Meisn.*
in Philos. Sobria Part. III. Sect. I. Quæst. VI. Post. Assert. pag. 59.
Gregorium de Valentia Tom. II. in Thomam Disputat. II. Quæst.
IV. punct. I. fateri non aliud, qui tamen alias intellectualem
determinationem acriter propugnare solitus est. Ipse Weisius
in Compendio Ethicæ Recognit. Exercit. V. Axiom. XXVI. ita suam
proponit sententiam: *Intellectus movet quidem Voluntatem*
proponendo & ostendendo ei rem, quæ amari, aut odiò haberi
meritò possit; sed hæc ipsa objecti representatio non producit vo-
litionem, nec absolutam inferre necessitatem, sed appetitum unicè
quasè

quasi illustrat, eundemque dirigit. His ergò nostra negativa, quam producimus, assertio firma redditur. Quæ de *Voluntate* propolita nunc sufficiant.

III.

Appetitus Sensitivus quoque non frustra ad *Subjectum Ethicæ Generale* refertur, quatenus à *Voluntate* movetur, vel ut appellatur *Facultas capax Virtutis*. Eam ob causam nunc nonnulla hac de *Facultate* dicere conabimur. *Voluntatem* autem differre ab *Appetitu Sensitivo*, illud confirmatu facile: Partim ratione *Objecti*: *Voluntatis Objectum est Bonum simpliciter*, sed *Appetitus Sensitivi Bonum sensibile*; non verò illud hęc modò interpretari debemus, acsi tantum illa terminaretur ad *Bonum Universale*, sed hic ad *Bonum*, quod restrictè & comparatè tale, se haberet; quam sententiam refutat *Div. Thom. Aquinas Lib. I. Contr. Gent. Cap. XC. fol. 94. D.* asserens: Quòd attendatur hujusmodi *differentia*, quantum ad *rationem formalem*: *Voluntas enim habet pro Objecto non limitatum Bonum ad aliquam Boni peculiarem rationem, sed absolute sumtum. Appetitus sensitivi Objectum verò contractum est ad Bonum sensibile.* Partim ratione *Sui*: Ita solent ut *Antecedens*, & *Consequens* distinguvi: Nam *Voluntas* ut *antecedens* movet *Appetitum sensitivum* ut *consequens*, scilicet ut *bonum* amet aut appetat, *malum* verò fugiat aut aversetur. Undè *Voluntas* præponitur, sed *Appetitus sensitivus* postponitur. Vid. *Institut. Ethic. Dürrii Part. II. Cap. III. §. VI. pag. 61. 62.* *Voluntas est appetitus rationalis, rationi se subjiciens, sed Appetitus sensitivus in sensu occupatus.* Conf. *Synops. Philosoph. Moral. Gwalt. Donaldson. Lib. II. Cap. II. pag. 57.* Ut de aliis *distinctionibus* hęc locò nihil amplius dicamus. *Appetitus verò Sensitivus juxta Prætorii verba dicit. loc. sup. allegat. pag. 25.* solet describi: quò *sui conservandi causâ sentiens anima inclinatur, & fertur vel in bonum suum, quòd sequendum, vel aversetur malum, quòd fugiendum.* Sunt autem

antem duæ Species Appetitus ejusdem, alius Concupiscibilis de-
nominatus à principali actu, qui vocatur amare vel concu-
piscere, id est, rem sibi gratam expetere, si propriè voca-
bulum illud accipiatur; alius Irascibilis, quæ sensitiva vi-
delicet Anima depellere conatur id, quò prohibetur à con-
secutione boni suaviter afficientis. Irasci nihil aliud, quàm propul-
sare, aut propulsare velle molestam rem. Conf. *Instit. Ethic.*
Dürrii pag. 130. Has species meritò inter Affectus animi recensenden-
das esse, in confesso Ethicorum omnium est positum; de illis itaq;
in *Disputatione sequenti* pro data occasione disserere conabimur.
Antequàm Probationem *Tbeseos* adducamus, notare ad-
huc necessarium censemus, juxta principis Philosopho-
rum verba: *I. Politic. Cap. III. mentem imperare appe-*
titui non herili, sed civili & regio imperio,, id est, non
ut heri servis imperant, qui resistere imperio eorum nul-
latenus audent, sed ut ex subditis, aut Magistratus Civibus,
qui etsi omnes aliàs illi parent, interdùm tamen jussa
detrectant. *Div. August.* alibi hoc exposuit inquitens:
Unde hoc monstrum & quare istud? Imperat animus cor-
pori & paretur statim, imperat animus sibi & resistitur.
Imperat animus, ut moveatur manus, & tanta est faci-
litas, ut vix à servitio discernatur imperium: Imperat
animus, ut velit animus, nec alter est, nec facit tamen,
Unde hoc monstrum & quare istud? Imperat, inquam, ut
velit, qui non imperaret, nisi vellet, & non fit, quod im-
perat. Sed non ex toto vult, non ergò ex toto imperat:
nam in tantum imperat, in quantum non vult. &c. Non igitur
monstrum, partim velle, partim nolle, sed aegritudo animi est,
quia non totus assurgit veritate sublevatus, consuetudine
pragravatus. Imperium Civile adhuc aliquam reliquit
resistendi facultatem, sed contrà Herile omnem simpliciter
reli-

reluctandi potestatem excludit. In hoc Iterus in *Synops. Moral. Lib. II. Cap. II. Quæst. III. pag. 66.* consentit, cui nullò modò contradicimus. Nunc probatum damus *Appetitum sensitivum* esse *Subjectum Ethicæ*: (1) *Ex Autoritate Jacob. Martin. in Synops. Ethic. Lib. I. Cap. II. pag. 6.* cui fidem citra dubium habere possumus, atque debemus; *Subjectum (Ethicæ,) inquit, est Appetitus, & cum primis sensitivus; in hunc enim perturbationes propriè cadunt.* (2) *Ex denominatione ipsa: quia denominatur Subjectum Perfectionis; nam appetitus iste spectari debet quâ regibilis, ne immoderatè appetat.* Vid. *Compend. Ethic. recognit. Job. Weis. Axiom. VI. Exercitat. I. pag. 5.* nec non *Synops. Philosoph. Moral. M. Iteri Prologom. Ethic. Quæst. IV. pag. 6.* (3) *Ex Ratione: Nam Appetitus ille Subjectum Virtutis vocatur juxta omnium Philosophorum confessionem: jam autem quod Virtutis Subjectum dicitur, illud quoque vi relationis Ethicæ Subjectum jure nominandum venit.* Paucis nunc ad *Opinionem Adversariorum* accedam, hic autem istud movendum dubium; an *Appetitus, qui appellatur sensitivus, Subjectum jure dicatur virtutum moralium?* intelligitur autem *subjectum informationis, non inhesionis.* Affirmativam defendimus ergò sententiam, cui opponere necessum habemus opinionem *Scoti, & Stoicorum: Qui asserere sunt ausi, morales virtutes non in Appetitu sensuum, sed in Intellectu potius, vel in Voluntate positas esse.* Vid. *Piccolomin. Grad. IV. Cap. VII. pag. 281.* Verùm à non exclusivò ad exclusivum argumentari non licitum est. Observandum itaque, pro diversitate respectûs & *Voluntatem & Appetitum quoque sensitivum Subjectum Virtutum scilicet moralium* haud incongruè dici, id quod probare possumus

sumus ex Excellent. DN. Prof. Köhrensces MSC. *suprà ci-*
tat. loc. Undè non erit dicendum: *Virtutes Morales in*
solo Appetitu sensitivo habere; ab eo squidem dogmate
 libenter discedimus. Rationes & fundamenta inveniri pos-
 sunt apud Acciajolum *super Lib. I. Ethic. Nicomach. Ari-*
stotel. Cap. I. & VI. Interim tamen largimur; *Virtutes in-*
choari in Appetitu sensitivo, sed consummari & perfici in
appetitu rationali seu voluntate. Idem stabilire voluit
Casus in Spec. Quest. Moral. Lib. I. Cap. XIII. pag. 75, Procul
dubio intelligendum, ait, *appetitum inchoatè, voluntatem*
absolutè virtutem recipere. Thomas Consentienter loqui-
 tur I. *Secund. Quest. LVI. Artic. II. in Conclus. Pertinere*
Virtutem ad plures Potentias, ita ut in una sit principaliter,
& se ad alias per modum diffusionis, vel modum dispositionis
extendat. &c. Eandem sententiam tuentur Eustachius de
S. Paulo Part. III. Ethic. Tract. III. Quest. III. Stabl.
Lib. II. Ethic. Sect. I. Cap. IIX. Reliquas contrarias opiniones
 nunc missas facimus, atque *Physicis* relinquimus refu-
 rationem illarum, qui fusiùs hanc materiam
 persequuntur,

SUMMO BONO, FINI PHILOSOPHIÆ
 MORALIS MAXIMO, SIT
 GLORIA.





Aug. VI 37

ULB Halle
003 913 872




3

Sl.

V 3 17







Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

28

B. D. T.

CTUM

Æ MORALIS

ERALE,

OSITIONUM

ITUM,

IB

DIVINI NUMINIS,

ESES,

M HENRICUS

MANNUS,

OPH. ADJUNCTUS,

T

NDENS,

UHRMANNUS,

TRANSYLVAN.

IDENT,

BR. ANNO M. DC. XC.

rio Majori.

temerid.

ISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.

h. III. 3652

